



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio III. De cognitione qualis & quantus sit Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

num, vel significat primitatem essendi, & sic infinitas radicalis est illa prior: vel significat illud ens quod est omnium primum, seu quod habet primitatem essendi, & hoc concedo nihil habere prius.

Ad confirm. Resp. ens diuidi prius in finitum, & infinitum quàm in ens à se & ens ab alio. Quia independentia ut ostendi, probatur per infinitatem, illam autem non probat. Fateor infinitatem formalem esse negationem, sed infinitatem materialem, & radicalem eo modo quo exposita est, patet esse omnino positivam.

Colliges ex his quænam esse possit vera & adæquata Dei definitio, & quid magnum ac mirabile obicere menti debeas, cum Deum audis aut cogitas, qui est omnia per essentiam seu omne magnum, omne pulchrum, omne bonum. Omnis vita, omnis sapientia, omnis sanctitas, omnis suauitas. Sed quomodo? est omnia sine limitatione vlla tum intensiue, tum extensiue, vide quàm hoc latè pateat. Quia est infinitus, omni genere sine compositione vlla: quia est simplicissimus, & vniuersus; est enim vna indiuisibilissima essentia quæ est sapientia, vita, potentia, omnia vnice. Vide quàm hoc sit augustum. Sine dependentia, quia est à se totum quod est: sine contingentia, quia est ens necessarium & per essentiam: sine potentialitate quia est ens summè actuale: sine mutatione quia est ens immutabile: sine socio quia est vnicum & tamen sine solitudine quia in eo inquit Augustinus tractat. 39. in Ioannem, *Et numerus est & numerus non est*. Vbi quia est immensus: semper, quia æternus: fontaliter, quia est radix & principium omnis possibilitatis, *In ipso* (inquit S. Dionysius cap. 4. de nominibus diuinis) *est omne principium, exemplare, finale, efficiens, formale, elementare, & simpliciter omne principium*. Breuius dixeris cum eodem Dionysio, *ἀπὸ τοῦ ὅλης, ἰνερπρελῆς, ὑπερβλῆζον*, cum Nazianzeno, *Vnus, omnia, nihil*. Vel certè cum eodem. *Hoc est Deus quod cum dicitur non potest dici, cum estimatur non potest estimari, cum definitur ipsa definitione crescit*.

QVÆSTIO III.

De cognitione qualis, & quantus sit Deus.

Magnitudo Dei. **M**agnitudo infinita diuini esse, hanc solam habet cognitionem, non cognosci, ut rectè ait S. Maximus in centuriis. Sed ex eo tamen quod dictum est colligi aliquatenus potest, quid magnum, & eximium sit Deus supra omnem estimationem, & admirationem, & amorem; erit autem hoc manifestius adhuc ex attributis, quæ circumstant essentiam nostro modo concipiendi; sed eorum tamen consideratio, quia esse posset infinita, & in Metaphysica delibata est. Satis erit de illis, primò dicere vniuersum, quomodo contineantur in essentia. Secundò quomodo ab ea, & à se inuicem distinguantur. Tertiò, quomodo de essentia & de se inuicem prædicentur. Quartò in particulari, quomodo diuidantur & quænam sint.

SECTIO I.

An & quomodo essentia Dei contineat attributa.

Sunt in Deo attributa. **C**ertum est primò esse aliqua in Deo attributa; nam quamuis non sit in Deo, nisi vnica, indiuisibilis, & simplicissima essentia, nostro tamen modo concipiendi, cogitare in eo licet multas perfectiones, veluti manantes ab essentia, & respondentes cum proportionem creatis proprietatibus, quæ tamen nullo modo sunt accidentia, sed perfectiones

Tom. I.

prorsus substantiales. Hæc enim sunt quæ vocantur communiter Attributa, & ab antiquis patribus præsertim Dionysio, dicta sunt *Dei Nomina*, alij appellant perfectiones secundarias, quod nostro intelligendi modo supponant essentiam.

Certum est secundò rectè definiti Attributum, est perfectio simplex ab essentia diuina manans per modum proprietatis. Non enim omnis perfectio etiam secundaria dici potest Attributum, sed requiritur, primò ut sit perfectio simpliciter simplex, nam ea quæ non sunt in Deo nisi eminenter non dicuntur Attributa; deinde debet concipi, tanquam aliquid adjacens essentia; si enim substantiue prædicetur non est Attributum, quia non responderet proprietatibus quæ manant ab essentia creata.

Certum est tertiò perfectiones quæ sunt in Deo alias esse simpliciter simplices, alias esse perfectiones secundum quid. Perfectio simplex dicitur quæ melior est ipsa, quàm non ipsa, id est quæ non est incompossibilis cum vlla perfectione maiori, vel æquali, v.g. vita, sapientia, iustitia, (sunt perfectiones simplices), quia non negant in subiecto, in quo sunt, perfectionem vllam maiorem, vel etiam æqualem. Perfectiones secundum quid, ea sunt iuxta communem usum Theologorum, quæ non sunt meliores ipsæ, quàm non ipsæ. Id est quæ non possunt esse in subiecto eodem, cum aliqua perfectione maiori, aut æquali, v.g. esse hominem, est aliqua perfectio, sed excludens à subiecto perfectionem Angeli. His positis.

Difficultas est de modo quo essentia continet Attributa, imò & omnem omnino perfectionem. Et primò quidem quomodo realiter in se ipsa omnia contineat Attributa & omnem perfectionem possibilem. Secundò vtrum etiam formaliter & essentialiter in suo conceptu, & Phisico, & Metaphisico, includat Attributa illa, & omnem omnino perfectionem.

S. I.

An & quomodo essentia Dei realiter includat attributa, & omnem prorsus perfectionem.

Sapè dictum est, superius, ita Deum esse, ut sit totum esse, & hoc esse, nomen eius proprium, nunc tota difficultas est quomodo perfectiones illæ omnes siue simplices, siue tatum secundum quid sint in Deo, vtrum formaliter, an verò eminenter. Tunc aliqua perfectio formaliter existit in aliquo subiecto, quando secundum propriam suam rationem, & definitionem affirmari potest de illo. Quo modo intellectus formaliter est in homine. Eminenter autem quando secundum propriam suam definitionem affirmari non potest de illo subiecto, sed tamen existit in illo, modo quodam nobiliori.

Ratio ergo dubit. primò est, quia perfectiones creatæ quæcumque illæ sint, semper habent annexam aliquam imperfectionem; sunt enim omnino limitatæ, sed simplices perfectiones sunt perfectiones creatæ; ergo illæ formaliter non sunt in Deo. Vnde Dionysius ait illas ita de Deo affirmari ut magis negentur, & per superlationem prædicentur; est enim Deus super vita, super substantia, &c.

Secundò Essentia Dei non continet essentiam hominis, nisi quia vel est illa perfectior & sic Angelus eminenter contineret infinita entia corporea; vel quia producere illam potest, & hoc est omnipotentiam esse quæ omnia continet non autem essentiam; dicere autem quod illa contineat in sua scientia, in qua repræsentatur, valde Metaphoricum est, alioqui homo contineret, quæcumque videt.

Tertiò si creaturæ sunt in Deo, sequitur verè à Vvicleffo dictum esse quod omnis creatura est, & potest dici Deus, & contra, quod Deus est quælibet creatura

Definitio attributi.

Perfectio Dei alia est simplex, alia secundum quid.

Status difficultatis.

Quadruplex ratio in oppositum.

Perfectiones omnes simplices formaliter sunt in Deo.

tura, v.gr. quod Deus est terra, est aqua, est brumum.

Quarto Attributa Dei vel sunt finita, vel sunt infinita, primum dici, non potest, quia essentia infinita, perfectiones infinita sunt, non solum intensiue, sed etiam extensiue, non secundum, quia attributa, sunt perfectiones vniuersales quas intellectus distinguit sumens fundamentum ex creaturis, illa finita sunt, ergo attributa finita sunt.

Dico primo omnis perfectio realis existit in essentia Dei, vel formaliter, si sit perfectio simplex; vel eminenter si sit perfectio secundum quid.

Primæ partis ratio est, quia illud formaliter est in Deo quod melius est habere formaliter, quam non habere formaliter; Deus enim est id quo nihil potest esse melius, sed melius est habere formaliter perfectiones simplices, quam illas non habere formaliter, idem enim dicuntur simplices, quia sunt meliores quam opposita eis negatio, neque dicuntur exclusionem omnis perfectionis maioris, aut etiam aequalis: ergo perfectiones simplices sunt in Deo, non quatenus sunt creatæ, sed secundum proprias rationes, & definitiones, præcindendo ab eo quod sunt creatæ; nam quia omnia creata imperfecta sunt, & quæcunque cogitamus sunt limitata, propterea recte dicitur perfectiones creatas, vt sic, eminenter solum esse in Deo. Hinc est triplex ille modus cognoscendi Deum per affirmationem, negationem, & superlatiorem, omnia enim affirmari de Deo, & negari possunt.

Perfectiones secundum quid sunt in Deo eminenter.

Secundæ partis ratio est, quia perfectiones secundum quid non sunt in Deo secundum proprias suas definitiones, sed omni modo quo vnum esse potest in alio eminenter, & sine vlla imperfectione, quod quadrupliciter posse accidere Less. notat l. i. Nam. 1. effectus eminenter dicitur esse in causa nobiliori, & eo perfectius in illa existit, quo produci potest perfectius, Deus autem perfectissimo modo producit, sunt ergo effectus omnes in Deo, vt radij in sole, vt folia in arbore. Secundo aliquid est in alio secundum sui similitudines, Deus autem ideas habet perfectissimas secundum quas omnia efficit. Tertiò secundum vim agendi; Deus enim facere potest, quidquid fieri potest à creaturis. Quarto secundum ordinationem, & æstimationem, vt media sunt in fine, ad quæ ordinantur, & ex ipso æstimantur. Sunt igitur omnia in Deo sed nobiliori modo, & ineffabili, nam omnia mortua in ipso viuunt, omnia finita, illimitata sunt, imò vt ait Augustinus, *Creata omnia ipsa sunt creatrix essentia in qua etiam verius esse habent quàm in propria natura. Quæ enim facta sunt (inquit l. 5. de Genesi ad litteram c. 15.) ibi meliora sunt, vbi sunt veriora, & incommutabilia.*

Solutio eorum quæ opponebantur.

Ad primam satis dictum est perfectiones simplices, vt creatæ sunt non esse in Deo nisi eminenter.

Ad secundam Resp. perfectiones esse non posse in omnipotentia tanquam in causa, quin etiam sint in essentia, quæ realiter est ipsa omnipotentia, & nostro modo intelligendi, est radix, & causa virtualis omnipotentia, in qua nihil continetur, quod non contineatur prius in eius radice. Quomodo autem magis omnia contineat quàm Angelus contineat hominem satis ex dictis patet.

Ad tertiam Resp. absurdissimum esse figmentum Vvicleffi quia, vt dixi, creaturæ solum eminenter in Deo sunt.

Ad quartam Resp. quæstionem esse de nomine; si enim nomine Attributi intelligitur perfectio distinguibilis aliquo modo per intellectum, certum est esse in Deo Attributa numero infinita; nam sunt, v.gr. infinita idea hominis, Angeli, &c. Vel significatur perfectio aliqua totalis & vniuersalis, cuius distinguendæ fundamentum sumitur ex creaturis, & sic pater illa non esse nisi finita, nam ad sapientiam v.gr. pertinent omnes ideas, ad omnipotentiam, facultas creandi om-

nia, vt recte ostendunt Vasq. d. 10. n. 28. Suares lib. 2. cap. 22. Recupitus lib. 3. quæst. 13.

S. II.

Virum essentia Dei non solum realiter, sed etiam formaliter includat omnem perfectionem.

Essentiam Dei sæpe monui, sumi posse, vel propterea significat conceptum Dei adæquatum vt est in se à parte rei, vel propterea significat duntaxat, primum illud Dei constitutum à quo emanare concipiuntur à nobis Attributa omnia per modum proprietatum. De vtroque illo conceptu Dei grauissima inter recentiores præsertim Theologos difficultas est vtrum ille includat attributa, & omnem omnino perfectionem etiam formaliter, ita vt neque adæquate ac Physicè, neque inadæquate ac Metaphysicè concipi possit essentia Dei, quin concipiuntur attributa omnia: an verò radicaliter duntaxat illa includat, quatenus concipitur tanquam radix omnium attributorum. Non autem formaliter etiam confusè.

Status quæstionis.

Ratio autem dubitandi præsertim pro essentia Dei sumpta inadæquate ac Metaphysicè primò est; quia illud non ingreditur conceptum formalem essentia diuinæ, vt est essentia & primum constitutum diuinum, quod supponit essentiam plenè constitutam, tanquam aliquid eà posterius, huiusmodi sunt attributa, ergo illa nullo modo ingrediuntur essentiam Dei, præsertim sumptam inadæquate. Maior ex terminis nota est, probat. minor illud quod manare concipitur ab essentia, iam constituta per modum proprietatum, supponit essentiam iam constitutam; Attributa dicuntur ea quæ manare à nobis concipiuntur ab essentia iam constituta, per modum proprietatum, alioqui sunt & non sunt attributa; ergo, &c. Deinde attributa probantur à priori per essentiam, ergo supponunt illam quia nihil demonstratur à priori, nisi sit posterius, & nisi sit distinctum conceptu. Similiter nihil potest adiacere sibi ipsi, sed attributa concipiuntur vt aliquid adiacens essentia; ergo essentia non includit formaliter attributa. Denique ratio Dei constitutiva non est aliud quàm infinitas radicalis ergo essentia Dei sumpta Metaphysicè nō includit attributa nisi radicaliter.

Ratio quadruplex in oppositu.

Secundò essentia Dei propterea à nobis concepta præcisè nihil aliud continet formaliter, nec in ea concipitur aliud, quàm quod in Deo respondet essentia creatæ, vt essentia est, sed essentia creatæ, vt essentia est, non continet proprietates, ergo essentia Dei non continet attributa formaliter, sed ad summum radicaliter. Deinde implicat essentiam Dei continere formaliter, id à quo præcinditur, & ratione distinguitur; essentia Dei ab attributis ratione saltem distinguitur, vt dicitur postea, ergo, &c. Denique implicat vt essentia concipiatur sub rationibus oppositis simul & semel, sed conciperetur sub rationibus oppositis si includeret attributa formaliter; nam essentia concipitur vt principium; & vt aliquid intrinsecum, attributum autem vt principatum, & vt aliquid extrinsecum; ergo, &c.

Tertiò nulla ratio probare potest attributa esse de conceptu adæquato, vel etiam inadæquato essentia quæ non probet personalitates esse de illo eodem conceptu; sed personalitates non sunt de conceptu essentia vt sic; ergo nec attributa. Probat. maior, idem per te attributa includuntur in essentia, quia illa est essentialiter infinita & non per aliquid extrinsecum essentia: deinde quia est ens per essentiam & à se; sequeretur autem Deum esse sapientem per aliquid extra se, si sapientia sit aliquid extraneum essentia, sed æquè sequitur paternitatem esse extrinsecam essentia, & illi aduenire tanquam receptiuo, si est extra conceptum essentia ergo par ratio est.

Quarto

Quartò si volitio est æquæ de Dei essentia ac intellectio, sequitur naturam diuinam æquæ communicari Spiritui Sancto in ratione naturæ ac communicatur verbo atque ita processionem Spiritus Sancti esse generationem, æquæ ac processionem filij, consequens illud absurdum est.

Dico 2. essentia Dei adæquatè ac physicè sumpta, includit formaliter explicite attributa omnia: essentia verò Dei sumpta inadæquatè, prout à nobis concipitur includit non solum radicaliter sed etiam formaliter omnem perfectionem sed confusè solum & implicitè.

Essentia Dei adæquatè sumpta includit explicite omnem perfectionem

Essentia Dei sumpta metaphysicè includit formaliter implicitè attributa.

Primam partem docent Suarez l. 1. de Deo, c. 10. & disp. 30. Metaphys. sect. 6. Gillius l. 2. tract. 1. c. 6. contra Vasq. d. 119. Fasolum q. 4. art. 2. ubi plures citant è veteribus, manebit autem probata ex iis quæ mox dicam de essentia Dei, sumpta etiam inadæquatè.

Secunda enim pars, quam docent Molina q. 28. art. 2. disput. 4. Suarez, Granadus, Recupitus, post Magistrum, Durandum, Albertum, & alios.

Probat, quia primò videtur eam expresse tradere patres, dum aiunt, quod quidquid de Deo dicitur, essentialiter dicitur. Augustinus l. de cognitione veræ vitæ, c. 3. asserit totum quod de Deo dicitur esse illi essentialiter. l. 7. de Trinit. c. 3. *Essentia, eo quod essentia, est sapientia.* S. Leo, epist. 91. *De Deo quidquid dignè vicinque sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Deinde aiunt singulas Dei perfectiones dicere ipsum quid est Dei. Bernard. l. 5. de considerat. c. 13. *quid est Deus longitudo, latitudo, &c.* Dionys. c. 2. de diuinis nom. *ipsa bonitas diuina totam essentiam quidquid est definiens.* Denique dicunt, idem esse, in Deo esse ac intelligere August. l. 15. de Trinit. c. 5. *cui hoc est esse, quod sapientem esse, & l. 6. c. 4. hoc est Deo esse quod forte esse, aut iustum esse aut sapientem esse.* Bernard. l. illo 5. c. 6. *hoc est ei esse quod sanè omnia esse.* Anselm. in Monologio c. 16. *unum est, quidquid essentialiter de illa summa substantia dixeris, ipsa uno modo una consideratione est, quidquid est essentialiter.*

Probat ex asseitate.

Secundò idem probant tria illa Dei attributa asseitas, actus puritas, & infinitas: ex prima sic argumentor, illud est de conceptu formali essentia diuinæ vt sic, quod non est extrinsecum essentia diuinæ vt sic; sed attributa non sunt extrinseca naturæ diuinæ vt sic: ergo attributa sunt de conceptu naturæ diuinæ vt sic, probatur minor, si iustitia v. g. est aliquid extrinsecum naturæ diuinæ vt sic, Deus non est iustus per essentiam, & à se, sed per aliquid extrinsecum essentia; consequens est absurdum, quod probatur: ens per essentiam, & à se dicitur illud, quod quidquid est à se ipso, & se ipso per essentiam formaliter est, non autem per aliquid extrinsecum Deus est per essentiam, ergo formaliter à se ipso, & se ipso est totum id quod est non per aliquid extrinsecum essentia, ergo non est iustus per aliquid extrinsecum essentia, alioqui esset iustus per participationem, quia subiectum habens formam participatione talis formæ, habet quod tale sit.

Neque dicas sufficere identitatem realem iustitiæ cum essentia vt Deus dicatur iustus per essentiam; hoc enim manifestè falsum esse conuincitur, quia essentia, & existentia creata identificantur realiter, & tamen creatura non dicitur existere à se per essentiam sed per participationem quia existentia est extra conceptum essentia: ergo vt Deus dicatur iustus à se per essentiam, non sufficit identitas realis essentia, & iustitia. Confirmatur quia, idem existentia est de formali conceptu essentia, quia Deus est existens à se, ergo vt Deus sit iustus à se requiritur vt iustitia sit de conceptu essentia diuinæ. Altera ratio ducitur ex puritate actus, nam si est in Deo recipiens, & receptum, & vera accidentia, Deus non est actus purus, sed

Probat ex actus puritate.

si attributa sint extra conceptum essentia vera erunt accidentia, & recipiuntur in essentia, ergo, &c.

Denique infinitas diuina potissimum hoc probat. Ens per suam essentiam infinitum formaliter, includit formaliter in sua essentia omnem perfectionem, Deus est ens per suam essentiam infinitum formaliter; alioqui est infinitus per participationem, hæc enim opponuntur contradictoriè: ergo essentia Dei omnem includit perfectionem formaliter. Maior probatur argumento eodem, illud non est per suam essentiam infinite perfectum, quod est perfectum per aliquid superadditum essentia, sed si attributa sunt extra essentiam, Deus est perfectus per aliquid superadditum essentia, ergo Deus non erit per suam essentiam infinite perfectus si attributa sunt extra conceptum essentia.

Neque dicas essentiam esse infinitam simpliciter, quia radicaliter continet totum omnino esse. Contra enim argumentor: vt essentia sit infinita simpliciter optimo modo continere debet omnem perfectionem, sed continere formaliter omnes perfectiones melius est quam continere illas radicaliter. Deinde Deus non esset formaliter per essentiam infinitus, nec à se formaliter vt ostendi. Denique de conceptu essentiali entis creati est esse limitatum simpliciter, ergo de conceptu essentiali entis increati, est esse illimitatum simpliciter, quod argumentum fuscè vrget Recupitus l. 3. q. 10. c. 4.

Ad primam Resp. primo quidem eo argumento, non probari, quod attributa sint extra essentiam Dei adæquatè conceptam, vt est in se; quia non manant ab ea vt sic, sed potius sunt plures rationes essentialiter distinctæ constituentes essentiam. Si verò loquaris de primo Dei constitutiuo, seu de essentia prout à nobis concipitur. Resp. concessa maiore, distinguendo minorem, attributa supponunt essentiam & ab ea emanant prout distinctè concepta secundum proprias rationes concedo, supponunt essentiam prout concepta implicitè, ac confusè nego. Quia vt sic sunt ipsa essentia vt ostendi, neque ab ea emanant alioqui essent accidentia. Eadem distinctione solui alia omnia possunt quæ addebantur, demonstrantur enim per essentiam & illi adiacent vt concepta distinctè, non vt concepta confusè, de distinctione autem per conceptus confusos, & explicitos dicitur seq. sect. infinitas radicalis quam dixi esse Dei differentiam significat inclusionem radicalem & formalem implicitam.

Ad secundam Resp. cum eadem distinctione, essentia Dei prout à nobis concepta, nihil aliud continet formaliter explicite, quam quod responder essentia creatæ, concedo nihil aliud continet confusè nego; nam cum sit à se infinita, non potest in omnibus esse similis essentia creatæ, neque perfecte præscinditur ab attributis vt ostendam postea, sed differt ab his dumtaxat secundum conceptus explicitos, eo modo quo ens differt à suis differentiis. Neque hoc est essentiam concipere sub rationibus oppositis vt patet; nam attributum vt conceptum confusè non concipitur, vt principiatum, & vt aliquid extrinsecum essentia.

Ad tertiam Resp. multis propter hoc argumentum omnino videri quod essentia Dei personalitates etiam includit formaliter, de quo dicam disp. 6. nunc supposita etiam sententia contrariâ, nego iisdem argumentis ostendi relationes ingredi formalem conceptum essentia diuinæ. Primò enim infinitas id non probat, quia proprietates istæ personales non sunt perfectiones simplices, cum paternitas verbi gratia non sit melior quam filiatio ei opposita, infinitas autem non dicit formaliter nisi perfectiones simplices, qualia sunt attributa omnia. Secundo neque asseitas

Probat ex infinitate actus.

Solutio primæ dubitationis.

Solutio secundæ.

Disparitas inter attributa absoluta, & personalia.

id probat, quia relationes sunt termini naturæ reddentes eam incommunicabilem, ideoque non possunt conuenire deitati absolute, ut est essentia communicabilis, sed tantum illi conueniunt prout est essentia terminata, non enim conueniunt Deo, ut Deus est, sed ut persona est: unde patet manifestum discrimen inter attributa relatiua, & absoluta, nam ex eo quod Deus sit ens per essentiam sequitur quod includat perfectiones omnes absolutas, quia illæ conueniunt naturæ, absolute sumptæ, ac communicabili: relationes autem quia non conueniunt naturæ absolute sumptæ, non debent etiam conuenire Deo per essentiam absolute sumptam, sed sufficit quod conueniant per essentiam ut terminatam id est ut persona est. Denique quia Deus est actus purus bene sequitur quod attributa sunt de conceptu essentiae, alioqui reciperentur in essentia; relationes autem quia sunt termini naturæ, quamuis sint extra conceptum naturæ ut natura est, non concipiuntur tamen recipi in natura, sed tantum reddere naturam concretam, tanquam rectum omnium denominationum, quod nullo modo est esse accedens, ut constat ex materia de incarnatione.

Instabis si paternitas est extra conceptum deitatis, Deus non est per essentiam, sed per participationem totum id quod est; est enim pater, & non est talis per essentiam.

Resp. distinguendo si paternitas est extra essentiam absolute sumptam, ut est natura communicabilis, Deus non est, per essentiam totum id quod est nego; si paternitas est extra conceptum essentiae, ut terminatæ, concedo, dixi relationem esse de conceptu essentiae ut terminatæ, quæ dicit & essentiam, & relationem. Deus non est per essentiam absolute sumptam, totum, quod est ut persona, quamuis per essentiam, ut terminatam sit totum, quod est ut persona.

Solutio
quarta
difficultatis.

Ad quartam quod Fafoli vnicum fundamentum est, Respond. volitionem non esse minus essentialem Deo, quam intellectiōem, neque tamen processionem Spiritus Sancti esse generationem, quia natura diuina communicatur ei ex vi processionis formaliter ut passio est, non ut est actio, sed hæc aliās.

Instantia.

Neque dicas cum Herice, intellectio & volitio cum sint principia diuersarum processionum, opponuntur virtualiter, sed rationes virtualiter oppositæ, non possunt componere vnā simplicem essentiam, ergo, &c.

Resp. enim maiorem, & minorem falsas esse; nam quamuis intellectio, & volitio notionales, sint oppositæ ut dicam disp. sexta tamen intellectio, & volitio essentiales non opponuntur etiam virtualiter, & quamuis opponerentur virtualiter in ordine ad diuersas processionem, tamen in ordine ad essentiam non opponerentur sed possent esse vnum.

SECTIO II.

Quomodo attributa distinguantur ab essentia, & inter se.

Quid &
quod duplex
sit distinctio.

Certum est primò distinctionem vniuersim appellari à philosophis, id quo vnum non est aliud, est autem distinctio alia realis, alia rationis, realis est quæ vnum, ante omnem operationem intellectus à parte rei non est aliud. Quod quia potest quatuor modis contingere, propterea quadruplex esse dicitur realis distinctio. Prima est realis maior, inter ea quæ sunt entia planè diuersa, & inter ea quæ si creata sunt mutua est separabilitas. Secunda est realis minor, inter ea quæ separari possunt, sed non mutuo. Tertia est à Scoto excogitata, formalis ex natura rei, nam apud ipsum distinctio ex natura rei est illa quam

vocamus à parte rei, quia est ante omnem operationem intellectus: & hæc (inquit) distinctio ex natura rei seu à parte rei, alia est realis, inter ea quæ diuersa sunt entia, & separari aliquo modo possunt: alia formalis, omnino à parte rei, & ante operationem intellectus, inter ea quæ non possunt separari, quæ nimirum, ut loquitur Scotus in primum dist. 8. q. 4. præcedit intellectum omni modo, unde sapientia in re formaliter non est veritas in re; nomine autem formalitatis intelligunt Scotistæ quidditatem: nomine realitatis existentiam. Denique quarta est à multis recentioribus nuper excogitata, distinctio realis, sed virtualis, inter ea quæ licet realiter, idem omnino sint, æquiualent tamen pluribus propter infinitatem, & præstant totum id quod præstarent si realiter essent distincta, sic essentia diuina, & relatio dicuntur distingui virtualiter, quia etiam si sint vnum, tamen realiter producit relatio, & essentia non producit, æquæ ac si essent distinctæ: unde optimè omnium distinctionem istam virtualem explicare illi videntur, qui dicunt illam non esse aliud quam æquiualentiam ad plura fundatam in infinitate. Quod Recupitus immerito reiecit l. 3. q. 4. c. 15. & sequentibus ubi fusè disputat de hac distinctione.

Certum est secundò distinctionem rationis vocari eam, quæ vnum cogitatur secundum propriam rationem non cogitatur secundum propriam rationem alio licet identificato realiter. Et quidem si sit in fundamentum aliquod cogitandi vnum sine alio, dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, si autem non sit vllum fundamentum in re, tunc est distinctio rationis ratiocinantis. Dupliciter autem distingui aliqua possunt, ratione ratiocinatæ, primò perfecte quando vnum ita cogitatur, ut est tale ut nullo modo cogitetur aliud ut tale formaliter, quod tamen est ipsi realiter identificatum, & hæc recentiores Nominales vocant præcisionem obiectiuam, quia in hac distinctione rationis vna perfectio existens, in obiecto cogitatur, ut est talis formaliter, non cogitatur formaliter altera perfectione obiecti realiter identificata cum illa, v.g. certum est quod in sole vis illuminandi, & vis calefaciendi, sunt identificate realiter & tamen cogito vim illuminandi, non cogitando vim calefaciendi, ut talem quod est cogitare aliquid inadæquatè huiusmodi distinctionem rationis, & præcisiones (ut vocant) obiectiuas negari non possunt, demonstrari ni fallor, potest, ut ostendebam in metaphysica, & tertia parte disput. prima de Sacramentis. Altera distinctio rationis ratiocinatæ, imperfecta est, quando cogitato vno, cogitatur etiam aliud formaliter, sed ita confusè, ut non possit intellectus discernere propriam illam rationem formalem, sicut cum à longè video colorem, discernere autem non possum, utrum sit albedo an nigredo, tunc enim video illum colorem non adæquatè, sed confusè tantum.

His positis quæ ad intelligentiam celeberrimæ controuersie, præmittenda necessariò fuerunt, tria video quæri posse de hac distinctione attributorum. Primò an illa sit aliquo modo realis, & ut loquitur, Scotus, formalis ex natura rei. Secundò utrum illa sit distinctio rationis. Tertiò qualis sit illa distinctio rationis.

§. I.

Utrum attributa distinguantur realiter, aut formaliter ex natura rei ab essentia, & inter se.

Distinctiōem realem inter attributa & essentiam voluit esse omnimodam Gualterus, Gilbertus, Porretanus, Pictauiensis Episcopus, solas personali-

Quid sit
distinctio
rationis.

Doctorem
sententia
circa
distinctio-
nem rea-
lem.

De cognitione, quantus sit Deus. 23

rates distingui putauit realiter ab essentia. Modalem dixit esse Ioannes de Viterbio, Vorstius, attributa esse accidentia existimauit propter decreta libera: Denique celeberrima est Scoti sententia quod attributa distincta sint à parte rei, & ante operationem intellectus non tamen realiter tanquam entia diuersa, sed formaliter ex natura rei, tanquam diuersas quidditates. Hanc enim veram esse sententiam Scoti, patet ex apertissimis eius locis supra citatis, vt immerito eum de sola distinctione per intellectum loquutum esse, putent multi recentiores.

Prima ratio dubitandi. Ratio autem dubitandi prima est, & potissima. Implicat vt de vna re realiter ante operationem intellectus verificentur contradictoria; hoc enim primum est, & notissimum principium metaphysicum, quo sublato nihil sciri potest de Deo, vel creaturis, impossibile est aliquid esse simul, & non esse. De attributis certum est verificari à parte rei contradictoria etiam ante operationem intellectus; nam essentia communicatur & non communicatur relatio, essentia non producit, relatio producit aliàsque 25. aut etiam 30. contradictiones excogitarunt Scotistae quae omnino verificantur de attributis, ergo illa distinguuntur.

Secunda. Secundò illa distinguuntur realiter quorum vnum generat realiter, altero nullo modo generante realiter, sed intellectus realiter generat, voluntas autem nullo modo generat: voluntas realiter spirat, intellectus autem non spirat: iustitia punit, misericordia non punit: Deus intelligit se formaliter vt verum, non amat formaliter vt verum: Deus vult efficaciter salutem electorum, non vult efficaciter salutem reprobatorum, ergo, &c. Confirmatur nam si verum est dicere res quae est essentia diuina generatur, verum etiam est dicere, diuina essentia generatur realiter quod absurdum est, imò si amor, & odium idem sunt, verum erit quod Deus amat mala.

Tertia. Tertiò quaecunque distinguuntur realiter secundum proprios conceptus communes, distinguuntur etiam realiter contracta in inferioribus, quia quod est alicui essentiale semper est essentiale, sed iustitia & misericordia secundum proprios conceptus communes distinguuntur realiter, alioqui etiam essent idem in creaturis ergo iustitia, &c. Confirmatur quia vbi est diuersa definitio, ibi est etiam diuersa quidditas & entitas sed attributa diuersas habent definitiones, ergo & quidditates, ac entitates. Denique omnia Dei nomina erunt synonyma, & in demonstrationibus de Deo, subiectum, praedicatum, & medium erunt idem.

Quarta. Quartò si sapientia infinita, esset à parte rei formaliter infinita bonitas, sapientia esset formaliter bonitas, consequens est absurdum, quia si sapientia sit formaliter bonitas, sequitur quod bonitas importatur in definitione sapientiae. Confirmatur primò sapientia & iustitia plus differunt quam sapientia & sapientia, sed sapientia & sapientia ratione differunt, ergo sapientia, & iustitia differunt plus quam ratione. Confirmatur secundò, cum concipio iustitiam diuinam, vel responderet huic conceptui à parte rei eadem formalitas quae responderet conceptui sapientiae, vel responderet à parte rei diuersa formalitas, non primum quia si non est nisi vna formalitas, in omnibus attributis, eadem omnium definitio est, & sunt omnia synonyma, si diuersa formalitas responderet à parte rei, ergo attributa differunt à parte rei formaliter.

Affectio contra Scotum. Dico primò, attributa Dei ante operationem intellectus nullo modo distinguuntur vel realiter, vel formaliter ex natura rei. Ita omnes communiter scholastici quos longum esset referre contra Scotum, & Scotistas, eorum enim sententiam non pauci grauiores non tamen dignam existimant, multa contra eos dabunt

Gillius l. 2. tract. 5. per plura capita, Vasquez disput. 116. Suarez disp. 30. Metaphyl. Ruis de Trinitate disp. 11. sect. 5. n. 12. Recapitulus fusiissime l. 3. q. 4. vbi multa congerit ex concilijs, patribus, & rationibus. Mihi pauca haec satis erunt.

Primò enim ex summa Dei simplicitate ratio ducitur efficax; nam in Concilio Lateran. sub Innocentio III. & in Rhemenfi sub Eugenio III. vbi damnata est sententia Gilberti Porretani distinguentis personalitates ab essentia, lata videtur etiam esse sententia contra Scotum, sic enim arguo, in vtroque illo concilio dicitur Deum adeo esse simplicem, vt nulla in eo sint partes, nulla compositio; sed si ante operationem intellectus esset aliqua distinctio formalis ex natura rei, essentiam inter & attributa, essent in Deo verae partes & vera compositio; ergo si est in Deo summa simplicitas, non est distinctio ante operationem rationis inter attributa & essentiam. Probatur minor ibi sunt verae partes, & vera compositio, vbi plura vnita coalescunt in vnum totum; in Deo plura vnita, coalescunt in vnum totum, nam attributa illa, entitates sunt plures à parte rei alioqui sunt nihil, sunt etiam vnita essentiae, non enim sunt extra essentiam, & coalescunt in vnum totum, dicitur enim Deus est sapiens, iustus, &c. ergo in Deo sunt verae partes, & vera compositio.

Secundò arguere possumus etiam ex summa Dei vnitatem, quam omnino destruit Scotistica haec distinctio. Dicit enim Concilium Lateranense, non esse in Deo quaternitatem: Dionysius c. 5. de diuinis nominibus diuinam naturam esse vnā, simplicitate omnem duplicitem, excludente. Vnde arguo ibi non est summa vnitatem vbi est vera duplicitas, & quaternitas, & vt loquitur Bernardus Centenitas, imò infinitas entitatum distinctarum; in Deo erit vera pluralitas, & distinctio ante operationem mentis, ergo non erit summa vnitatem, seu indiuisio, & indistinctio.

Neque valere potest solemne Scotistarum effugium, distinctionem quidem, & pluralitatem realem opponi summae simplicitati, & vnitati; non autem distinctionem istam minimam formalem, ex natura rei, quae vocari non debet realis.

Sed contra nam omnis compositio à parte rei, & distinctio, ac pluralitas repugnat summae simplicitati, & vnitati; nam quod facit numerum à parte rei, tollit vnitatem à parte rei, & compositio partium à parte rei, tollit simplicitatem à parte rei, distinctio illa formalis ex natura rei, huiusmodi est, ergo, &c.

Deinde ne ludus in verbis sit, illa distinctio, pluralitas, & compositio est physica, & realis quae ante omnem operationem rationis est verè in re (hoc enim est esse reale) pluralitas ista, & compositio est à parte rei, ante omnem operationem rationis, & attributa ista prout distincta, non sunt nihil, ergo sunt res à parte rei distinctae, vt merito dixerit Nyssenius Iad Ablauium, quod *diuina simplex natura omnem circa essentiam reijcit diuersitatem*, & Basilius epist. 80. *quaecunque (inquit) nomina diuina protuleris, vnum est perpetuò quod significatur.*

Tertiò ex aeternitate, existentia per essentiam, actus puritate, infinitate ducuntur argumenta efficacissima. Nam in Concilio Rhemenfi art. 3. dicitur nullas esse in Deo proprietates, relationes, singularitates, quae non sint ipse Deus, & sapè diximus ex patribus, ens à se imparticipatum, esse illud, quod se ipso est totum id quod est, non autem per aliud superadditum; nam hoc est esse tale per participationem. Sed si attributa non sunt à parte rei deitas, Deus est iustus verbi gratia & sapiens per aliquid superadditum, quod vt patet repugnat infinitati, aeternitati, purissimae

Prima probatio ex summa Dei simplicitate.

Atera probatio ex summa vnitatem.

Effugium pracluditur.

Tertia probatio ex infinitate.

simæ actualitati, nam attributa recipientur in essentia.

Denique veræ nullo modo essent prædicationes ubi abstracta de Deo prædicantur ut Deus est, iustitia, & sapientia, quod postea patebit repugnare patribus & concilijs.

Solutio
primæ dubitationis.

Ad primam de qua dicitur accuratius disp. 6. quia contradictoriorum verificatio de Deo, locum præsertim habere videtur in Trinitate. Resp. contradictionem omnem etiam in creatis esse affirmationem, & negationem de eodem secundum eandem omnino rationem formalem, unde tunc non est contradictio quando cadit in duas formalitates ratione distinctas cum fundamento in re. Cum ergo attributa ratione distinguantur ut statim dicam cum fundamento in re, non est mirum quod de illis, idem prædicatum affirmetur, & negetur, iustitia punit, misericordia non punit, intellectus generat, voluntas non generat; hæc enim distinctio licet formaliter, & realiter sit tota per rationem, est tamen in obiecto fundamentaliter, & æquivalenter quod sufficit ad tollendam contradictionem.

Tota difficultas est quid sit fundamentum illud distinctionis, propterea præcedit omnem actualem distinctionem rationis; vel enim illud est cum omni moda indistinctione, & sic recurrit argumentum de contradictorijs: vel dicit actualem distinctionem & sic datur distinctio à parte rei. Deinde illud fundamentum distinctionis, vel est in ordine ad solum intellectum creatum, & sic implicante intellectu creato falsum esset quod intellectus Dei generat, voluntas non generat: vel est in ordine ad intellectum diuinum, & sic intellectus diuinus distinguit ratione attributa sua. Respondeo illud fundamentum distinctionis propterea præcedit distinctionem rationis non esse aliud quam æquivalentiam eius realem ad plura distincta, unde fit ut fundamentum dei intellectui concipiendi vnum, non concepto alio, & hanc appellabam distinctionem virtualem quam admittendam esse in Deo simpliciter, & in creatis etiam secundum quid, dicitur in tractatu de Trinitate, & attingetur §. sequenti, nunc satis est dicere illam à parte rei esse, sed virtualem, & esse in ordine ad intellectum tum creatum, tum diuinum, qui non propterea ratione distinguit attributa.

Itaque ad solutionem argumenti dicere sufficit, quod contradictoria de Deo non affirmantur nisi sub diuersa ratione formali, & de his quæ à parte rei fundamentaliter, virtualiter sunt plura, verum enim est, quod essentia ut concipi potest sub conceptu essentia, & ut æquualet essentia distincta communicatur, & non communicatur propterea æquualet personalitati distincta producitur propterea conceptibilis est sub ratione personalitatis & æquualet personalitati distincta, non producitur propterea concipi potest sub ratione essentia & ita per distinctionem rationis, & realem fundamentalem siue virtualem soluuntur contradictoria omnia quæ obijciuntur à formalistis.

Solutio
secundæ dubitationis.

Ad secundam de intellectu generante, & voluntate non generante responsio eadem est; nam inter illa est distinctio rationis, & realis etiam virtualis, ut magis postea patebit. Ad confirm. Respond. verum hoc fortassis esse, res quæ est essentia diuina generatur propterea concipitur sub ratione formali personæ, & propterea æquualet personalitati distincta. Neque inde sequitur quod essentia ut essentia est generetur à parte rei, nullo modo verum est dicere, Deus amat mala, quia verba adiectiua semper significant sensum formalem.

Video posse adhuc obijci distinctionem illam virtualem, si non significet nisi æquivalentiam, & infinitatem, significare tantum quod de Deo propter

infinitatem simul possunt verificari contradictoria. Resp. illam distinctionem significare quod de Deo propter infinitatem, & æquivalentiam verificantur affirmatio & negatio sub diuersa ratione formali, quod non est verificari contradictoria.

Ad tertiam Resp. iustitiam & misericordiam secundum conceptus proprios, & genericos præcisos abstrahere ab unitate, & pluralitate, unde in Deo realiter sunt vnum, in creatis distinguuntur. Ad confirm. distinguo maiorem, ubi est diuersa definitio, est diuersa quidditas realiter distincta nego, distincta per intellectum & virtualiter à parte rei concedo. Vel etiam distingui potest ubi est diuersa definitio adæquata ibi est distincta quidditas & entitas concedo: ubi solum est inadæquata nego. Nomina Dei non esse synonyma patebit statim.

Ad quartam Resp. negando maiorem illam, si sapientia infinita, esset, à parte rei formaliter infinita bonitas, sapientia esset formaliter bonitas; quia sapientia ut sic indifferens est, ut sit idem cum bonitate, vel ut ab ea distinguatur, propterea verò contrahitur ad Deum est idem cum bonitate, propterea est in creaturis distinguitur, ut prius dixi animal ut sic est indifferens, ut sit rationale, vel irrationale. Deinde subest æquiuocatio illi propositioni (sapientia est à parte rei formaliter bonitas) nam illud formaliter, vel significat formalitatem in esse reali, & sic sapientia Dei à parte rei est bonitas: vel significat formalitatem in esse intentionali, & fundamentali, & sic sapientia non est infinita bonitas. Ad primam confirmationem patebit ex statim dicendis, quomodo sapientia, & iustitia magis differant ratione, quam sapiens & sapientia. Ad secundam confirmationem Resp. quod cum concipio iustitiam & sapientiam eadem formalitas, in esse reali, responderet conceptui utriusque, sed non eadem formalitas in esse intentionali, quia distinguuntur conceptu: quod modo videndum est.

Solutio
quartæ dubitationis.

S. II.

Verum attributa distinguantur ratione, ab essentia, & inter se.

Negarunt distinctionem rationis inter attributa, hæretici Anomæi volentes omnia Dei nomina esse synonyma, sequuti eos videntur Nominales antiqui, & noui qui negant distinctionem omnem rationis ratiocinata tum in creatis, tum in diuinis, & solum admittunt distinctionem rationis ratiocinantis voluntque plures quidem à nobis formari conceptus de Deo, sed eorum conceptuum idem semper esse obiectum, & realiter & identice, & formaliter.

Distinctio
nem rationis negant Anomæi & Nominales.

Ratio dubitandi primò est; dari distinctionem rationis inter attributa nihil aliud est quam cognosci vnum attributum, non cognito alio, hoc implicat, ergo nulla datur distinctio rationis. Probatur minor tam implicat aliquid cognosci realiter & non cognosci realiter, quam implicat aliquid produci realiter, & non produci realiter, sed si sapientia cognoscitur non cognita iustitia, cognoscitur iustitia, quia est realiter ipsa sapientia, & non cognoscitur ut suppono, ergo implicat ut cognoscatur sapientia, non cognita iustitia. Deinde quod est vnum à parte rei non potest nisi falso concipi ut multa, attributa sunt à parte rei vnum, ergo non possunt nisi peruersè concipi, ut multa, imò quod est intrinsecè vnum, non potest fieri multa per aliquid extrinsecum. Præterea illæ formalitates essent idem, & non idem etiam realiter, nam sunt verè reales, & sunt realiter diuersæ.

Prima ratio dubitandi.

Secundò sequeretur quod attributa essent entia rationis,

Secunda
ratio dubi-
tandi.

rationis, nam implicat ens rationis esse distinctum realiter, ergo implicat ut ens reale distinguatur ratione; sicut enim quod distinguitur realiter debet esse ens reale, sic quod distinguitur ratione debet esse ens rationis. Nam sicut res se habet ad esse, sic se habet ad distinguendum. Deinde si ad distinctionem rationis, sufficit pluralitas cognitionum, sequitur quod Deus cognitus per plures cognitiones à se ipso ratione distinguitur. Deinde ideo attributa inter se distinguuntur, quia Deus propter infinitatem non potest vno conceptu adequato concipi, ratio illa non valet; quia sequeretur essentiam etiam, & quodlibet attributum, distinguere ratione à se ipso, quia cum sit infinitum non potest adequatè concipi ab intellectu finito. Denique ubi est vna tantum quidditas ibi est vna tantum ratio, in Deo non est nisi vna quidditas, ergo vna tantum ratio; ergo nulla est distinctio rationis. Quod significatum videtur apertè in Concilio Rhemenfi, *In Theologia*, (inquit) *inter essentiam, & personam ratio non distinguitur*. Et Anselmus cap. 16. *Monologij cum dicitur iustitia vel essentia vnum significat quod alia, vel omnia simul, vel singula*. Et infra: *Ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter*.

Tertia ratio dubi-
tandi.

Tertiò si Attributa huiusmodi distinctionem habent, poterit etiam à Deo, & à Beatis fieri hæc distinctio rationis, & præcisio, consequens absurdum est, quia præcisio dicit cognitionem confusam, & inadæquatam, atque adeò imperfectam. Probatur minor. Deus reuera videt se intellectu generare non voluntate: dicit essentiam communicari, non communicari relationem; non potest hoc cognoscere, nisi concipiat essentiam sine relatione: ergo præscindit essentiam à relatione.

Assensio.

Dico secundò attributa diuina tum absoluta tum relatiua distinguuntur ratione ab essentia, & inter se. Ita communiter Theologi, Nominalibus exceptis veteribus & nouis, quorum sententiam si res ipsa dissentit à sententia communi, plusquam falsam esse, si verò tantum in modo loquendi, esse impertinentem rectè docet Suares lib. 7. de Trinitate, cap. 1. neque ad conuincendam eius falsitatem rationibus multis opus est.

Prima probatio ex
Concilijs & Patri-
bus.

Primò ergo apertè repugnat scripturis, Concilijs, & Patribus quæ loquuntur de attributis tanquam de multis. Ioannis 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. In Concilio Florentino sess. vltima in litteris vnionis, *Omnia quæ patris sunt ipse pater filio suo dedit gignendo, præter esse patrem*. Imò in eodem Concilio sess. 18. dicitur apertè quod differant ratione persona & essentia. *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectio- nis nostra differre videntur*. Idem habetur expressè in 6. Synodo in Epistola Sophronij. Patres sapissimè idem clarè asserunt Eunomium refutantes quos recenset Petauus fusissimè tom. 1. dogmatum lib. 1. à cap. 6. ad 12. Basilij lib. 5. contra Eunomium. Athanasij Epistol. de decretis Synodi Nicænæ, Nazianzenus oratione 38. & 42. Nyssenus toto libro de differentia essentia, & Hypostaseos Cyrillus, Hilarius innumeri alij.

Secunda probatio ex ratione duci potest quam ex pluribus vnam eligo. Illa distinguuntur ratione ratiocinatà cum fundamento in re de quibus certum est verificari prædicata contradictoria, sed de attributis diuinis tum relatiuis, tum absolutis certum est verificari posse prædicata contradictoria, ergo illa distinguuntur ratione ratiocinatà cum fundamento in re. Maior certa est, quia de eodem secundum idem nunquam verà possunt esse affirmatio & negatio. Minor probatur primò de attributis relatiuis; nam verà sunt hæc propositiones, perso-

Tom. I.

nalitas producit, essentia non producit, essentia communicatur, non communicatur persona: humanitas vnitur immediatè personæ, non vnitur essentia: si autem essentia & paternitas essent Synonyma, tam communicaretur, filio paternitas, quam communicatur essentia, & sicut licet dicere, paternitas est essentia, liceret etiam dicere paternitas est filiatio. Secundò quod de attributis etiam absolutis verificentur contradictoria probatur facillimè, nam istæ propositiones sunt veræ, intellectus generat, voluntas non generat: voluntas spirat intellectus non spirat: filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus non procedit per intellectum. Si autem intellectus, & voluntas etiam formaliter vnum sunt tam erit verum, quod filius procedat per voluntatem, quàm quod procedat per intellectum: similiter verum est, Deus punit ut iustus, non punit ut misericors, ergo iustitia & misericordia distinguuntur conceptu.

Denique nulla videtur probatio hic requiri, nam dicere quod non formemus alium conceptum de iustitia Dei, & alium de illius sapientia, & quod definientes & cogitantes iustitiam definiamus & cogitemus sapientiam, quoddam est genus dementiæ, cum etiam extra Deum inteniatur participata sapientia non participatà misericordiā, participata vita, non participata sapientia.

Ad primam Resp. illud argumentum ut ostendi alias retorqueri posse in aduersarios nam distinctè cognosci, & non distinctè cognosci tam sunt contradictoria, quàm cognosci & non cognosci. Deinde absolute neganda est illa propositio, cognosci, & non cognosci, tã sunt contradictoria, quàm fieri, & non fieri, quia obiectum est sæpè multiplex virtualiter in ordine ad prædicata extrinseca, cognosci enim est extrinsecum, quod non est multiplex virtualiter in ordine ad prædicata intrinseca; fieri enim & existere intrinseca sunt. Hoc autem modo contradictoria verificari non possunt nisi in solo Deo, ut dixi. Deinde cognosci, & non cognosci non sunt contradictoria, quia in his negatio non est absoluta; dico enim cognosci aliquid identicè, quod formaliter non cognoscitur; ubi nulla est contradictio. Cum autem dico fieri & non fieri, negatio absoluta est, dico enim rem nullo modo fieri, alioqui non esset implicantia, aliquid fieri inadæquatè, & non fieri adæquatè, sicut in nostro casu res inadæquatè cognoscitur, & non cognoscitur adæquatè, quod est à parte rei vnum non potest concipi, nisi falsò, ut multiplex à parte rei, sed concipi potest ut multiplex formaliter per intellectum cum fundamento in re. Similiter quod est intrinsecè vnum, non potest fieri multa intrinsecè, per aliquid intrinsecum, sed fieri potest multa extrinsecè, per ordinem scilicet ad diuersos conceptus inadæquatos. Denique illæ formalitates sunt verè reales, sed à parte rei, ac realiter non sunt plures nisi fundamentaliter.

Ad secundam Resp. ens rationis non posse distinguere realiter, quia cum sit nihil, non potest habere vllum esse reale, ens autem reale cum sit essentialiter verum, & intelligibile, posse habere aliquod esse per rationem, saltem extrinsecum, & denominatiuum, non enim existit per rationem intrinsecè; nam hoc est proprium entis rationis, sed tantum per cognitionem denominatur cognitum, vel adæquatè vel inadæquatè. Fateor quod Deus ut cognitus per vnam cognitionem, differt aliquo modo formaliter à se ipso proptè cognitio per alteram, sed hæc distinctio formalis minus propria est, quia est in ordine ad aliquid omnino extrinsecum. Neque absurdum est dicere quod in quolibet etiam attributo, infinitæ formalitates sunt distinguibiles propter infinitatem, etiam si omnes illæ contineantur sub conceptu generico talis attributi; nam

cum

Solutio
primæ du-
bitationis.

Solutio se-
cundæ du-
bitationis

cum dico essentiam diuinam, iustitiam diuinam, confusè dico illam totam, vt patebit statim. Denique vbi est vna tantum quidditas, ibi est vna tantum ratio adæquata, sed esse potest multiplex ratio inadæquata huius quidditatis. In Concilio Rhemenſi vt rectè ostendit Vasques sola negatur distinctio realis quam affirmabat Gilbertus Porretanus, præter distinctionem rationis quam vocabat Mathematicam; Concilium enim negat à Theologo rationabiliter posse poni distinctionem illam realem, quam Gilbertus Theologicam appellabat. De mente Anselmi dicetur statim.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. cum Suare, Vasque, Ruiz, Herice, Hurtado, Recupito, contra Gillium, Arriagam, & alios non fieri propriè loquendo distinctionem rationis ab intellectu diuino, qui vnico conceptu intelligit totum quod est in Deo. Ratio est, quia vt fiat distinctio rationis non sufficit conceptus obiectiuus inadæquatus, sed requiritur etiam multiplex conceptus formalis. Deus autem vnico conceptu formali apprehendit adæquatè omnia quæ in se habet. Vnde quando intelligit essentiam suam communicari, non communicat personalitate, non propterea distinguit ratione essentiam à personalitate, sed concipit totum illud vt est in se, licet simplicissimum, communicari, vt essentia est, non communicari vt est personalitas, vbi non est præcisio, quia licet conceptus tum essentiae tum personalitatis sit obiectiuè inadæquatus, conceptus tamen formalis non est multiplex realiter, sed vnus est, & adæquatus terminatus ad essentiam, & ad personalitatem. Dixi autem requiri ad distinctionem rationis conceptum formalem multiplicem. De Beatis patebit ex quæstione sequenti quomodo concipere possunt attributa inadæquata.

§. III.

Qualis sit distinctio rationis inter attributa.

Duplex
distinctio
rationis.

Dupliciter, vt monebam initio sectionis, potest vnà ratione ratiocinata ab alio distingui, primò perfectè, vt animalitas distinguitur ratione, & obiectiuè præcinditur, perfectè à rationali, quia conceptu animali licet identicè concipiatur rationale, nullo tamen modo cognoscitur formaliter quod est distingui ratione per conceptus obiectiuos inadæquatos. Secundò distingui potest imperfectè, vt perfectas distinguitur ratione ab ente, sed ita tamen vt nunquam cogitari possit quin ens cogitetur formaliter saltem cōfusè, alioqui perfectas esset nihil, & hæc vocatur distinctio rationis per conceptus explicitos, & cōfufos.

Controuersia igitur est, vtrum distinctio rationis quæ inter attributa reperitur sit prima illa distinctio secundum conceptus inadæquatos, an verò posterior secundum conceptus explicitos & cōfufos.

Prima ratio
dubitan-
dum.

Ratio autem dubit. primò est, quia attributum iustitiæ, v. gr. non includit formaliter nisi id quod cogitatur ab intellectu, tunc cum cogitatur præcisè iustitia, sed tunc cum cogitatur præcisè iustitia non cogitatur misericordia, vel essentia diuina, ergo attributum iustitiæ non includit misericordiam, vel essentiam diuinam. Prob. minor, tunc non cogitatur misericordia, in conceptu iustitiæ, quando cogitatur iustitia, vt aliquid distinctum à misericordia, sed cogitatur vt aliquid distinctum à misericordia; dico enim iustitia punit, misericordia non punit. Deinde probatur clariùs, cum dicitur sapientia diuina, non aliud cogitatur aut dicitur, nisi perfectio illa quæ sufficit vt respondeat iustitiæ creatæ, sed iustitia creatæ non includit misericordiam, aut alias omnes perfectiones, ergo cum concipitur iustitia, non concipitur vllò modo misericordia. Maior certa est

quia distinctio rationis quæ inter attributa Dei reperitur est tantum per ordinem ad intellectum concipientem, Deum, vt respondet variis perfectionibus creatis. Secundò experimur nos concipere iustitiam non conceptà misericordiā. Quomodo enim ratione distinguuntur iustitia, & misericordia, si vnā non cogito sine alia, cum ad distinctionem rationis necesse sit vnum non esse aliud saltem prout concipitur: hic per te iustitia etiam prout concipitur, est misericordia, ergo non distinguitur ratione à misericordia, quod est destruere omnia quæ præcedenti conclusione dicta sunt. Dicere autem quod cogitat iustitiā implicitè cogito misericordiam etiam si cogitans id nullo modo aduertat gratis dici videretur, quia similiter dici poterit quod animal includit confusè rationale. Vnde argumentor, idè animal non includit rationale, quia non cogitantur connotata sine quibus non est formaliter rationale, sed cogitat iustitiā, non cogitantur connotata sine quibus non est formaliter misericordia: ergo, &c.

Secunda
ratio du-
bitandi.

Tertio si formaliter intellectus est voluntas, sequitur verum esse dicere quod *Verbum* procedit per voluntatem, & *Spiritus Sanctus* per intellectum imò licet dicere quod Deus vult formaliter intellectu, & intelligit voluntate. Denique implicat vt idem sit excedens, & excessum, sed si vnum attributum includat essentiam, & in ea includatur, erit excedens & excessum, includens, & inclusum: ergo, &c.

Tertia ratio
dubitan-
dum.

Dico tertio inter attributa Dei, & essentiam non est distinctio rationis perfecta, per conceptus obiectiuos inadæquatos, sed imperfecta tantum per conceptus explicitos, & cōfufos. Ita docent Suares, Valentia, Hurtados, Recupitos, & alij omnes quos sectione primā, retuli, asserentes essentiam includere formaliter attributa contra Vasquem, Gillium, Fasolum, Herice, qui ponunt veras præcisiones obiectiuas inter Dei attributa.

Afferitio.

Primò autem ita expressè videntur dicere multi Patres Anselmus in Monolog. cap. 16. *Vnum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter, tum concludit, idem igitur est quodlibet illorum quod omnia simul.* Augustin. lib. 7. de Trinit. *Sapientia essentialiter intelligitur.* S. Leo epist. 93. *de quo quidquid digne vtrunque sentitur, non qualitas est sed essentia.* Quæ omnia falsa essent si attributo vno cognito, non intelligerentur saltem implicitè tum essentia, tum attributa omnia.

Prima
probatio
ex patri-
bus.

Secundò non est maior ratio cur sapientia diuina, v. g. formaliter sit ens à se, infinitum & actus purus, quàm sit alia omnis perfectio, sed sapientia diuina vt sic, includit formaliter aſſeitatem, infinitatem, & actualitatem, ergo includit etiam alias omnes perfectiones, & essentiam. Probatur maior idè includit illas perfectiones aſſeitatis, infinitatis, & actualitatis, quia est diuina, sed quatenus diuina, tam debet includere alias perfectiones, & essentiam. Sicut si dicam animalitas hominis includit necessariò rationale, ergo, &c. Confirm. primò quia quibus rationibus probatum est essentiam includere attributa, iis etiam ostenditur quod attributa includunt essentiam & se inuicem; debet enim attribui Deo summa quæ potest excogitari simplicitas, & infinitas, sed maior erit in Deo simplicitas & infinitas, si attributa se mutuo includant formaliter, nam quodlibet attributum erit infinitum in omni genere, quod est longè maius, quàm si esset infinitum in aliquo tantum genere. Debet autè Deo attribui summa quæ cogitari potest perfectio.

Altera ex
ratione.

Confirm. secundò, quia non implicat contradictionem, sapientia quæ implicitè in suo conceptu includat omnem perfectionem, eo modo quo essentia illam etiam includit, ergo illa tribuenda Deo est.

Ad

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Resp. negando maiorem illam, quan-
do cogitur iustitia diuina, non aliud cogitur
quàm quod obicitur intellectui quando cogitur
iustitia, nam hoc aperte falsum est, alioqui non co-
gitaretur etiam implicite infinitas, & affectus, quod
aduersarij non admittunt. Cogitur ergo tunc expli-
cite tantum, quod cogitur, quando menti obicitur
iustitia, sed implicite omnis perfectio cogitur, atque
ad eam misericordia, à qua, iustitia distinguitur forma-
liter distincte, non formaliter confusè; nam iustitia
non punit ut misericordia explicitè formaliter conce-
pta, sed ut misericordia cognita formaliter confusè.
Cogitare autem implicite in hoc consistit, quod si re-
flectatur intellectus supra iustitiam quam cogitabat
cognosceret inclusam in ea fuisse misericordiam. Fa-
teor quod quando dico, *Iustitia diuina*, nihil aliud à
me cogitur formaliter explicitè quàm perfectio
Dei quæ respondet iustitiæ creatæ, sed nego nihil
cogitari aliud formaliter implicite.

Solutio
secundæ
dubitatio-
nis.

Ad secundam Resp. eo tantum argumento probari
quod attributa Dei non perfectè distinguuntur ratio-
ne per conceptus obiectiuos inadæquatos, sed non
probari quod non distinguantur per conceptus ob-
iectiuos implicitos & confusos, neque id gratis di-
citur cum allata rationes id euincant. Animal & ra-
tionale distinguuntur ratione primo modo, quia nul-
la ratio cogit dicere, quod cogitatio animali, rationa-
le implicite cogitur, & contra, cum vnus conceptus
obiectiuus excludat alium, cum tamen conceptus
obiectiuus iustitiæ ut diuina est, includat omnem
perfectionem, atque ad eam connotata omnia, miseri-
cordiæ, iustitiæ, sapientiæ.

Ad tertiam Resp. nullo modo posse dici quod *Ver-
bum* procedat per voluntatem, & *Spiritus S.* per intel-
lectum, etiam si formaliter confusè voluntas & in-
tellectus sint idem: nam quia illa sunt distincta vir-
tualiter, & non sunt idem formaliter explicitè pro-
pterea *processio Verbi* non potest esse per voluntatem,
ad quod requireretur ut intellectus & voluntas ef-
ficerent vnum formaliter explicitè, ac virtualiter à parte
rei, etiam si verum sit quod *Verbum* procedat per id
quod realiter & formaliter confusè, voluntas est,
sed falsum est quod sit realiter aut formaliter per vo-
luntatem. Ut magis patebit ex sect. 3. vnde nec verum
est, quod Deus intellectu vult, & voluntate intelligit.
Neque vrget quod addebam ex Herice potest enim
aliquid esse includens & inclusum, excedens, & ex-
cessum, secundum diuersos conceptus. Iustitia enim
ut explicitè concepta, includit ipsam essentiam im-
plicitè, & prout implicite concepta, est inclusum in
ipsa essentia, & in alijs attributis expresse conceptis:
idem ergo est inclusum, secundum conceptum im-
plicitum, & includens secundum conceptum ex-
plicitum.

Vtrum
attributa
Dei sint
inter se
æqualia.

Ex his colliges, quid responderi debeat ad quæstio-
nem illam celeberrimam vtrum attributa Dei sint
omnia æqualis perfectionis, ad eam ut vnus intensiue
omnibus æquiualeat, sicut communiter dicitur quod
Dei essentia sola est tam perfecta intensiue quàm ef-
fentia, & tres personæ. Nam in sententia quæ per-
fectè distinguit ratione attributa, hoc est difficilli-
mum, & communius negari solat contra Granadum
& de Lugo.

At verò in sententia quam proposui, dicendum
omnino videtur primò quod attributa omnia sumpta
realiter, æqualia sunt, entitatiue, cum identifcentur
essentiæ & inter se, quod sufficit ut quælibet perfectio
diuina intensiue æquiualeat toti essentiæ, ut sit ado-
randa supremo cultu latriæ, ut Deus infinite pro-
pter illam laudabilis sit, & ut personæ, ac proces-
siones diuinæ sint omnes æquales. Secundò dico
quod attributa omnia sunt etiam æqualia secundum

Tom. I.

rationem nostram si sumantur secundum conceptum
implicitum, cum vnus, ut dixi, alia omnia includat.
Si autem sumantur secundum conceptum explicitum
nego illa esse æqualia. Ratio est quia tunc voluntas,
verbi gratia, sumitur secundum conceptum expli-
citum, quando non concipitur in Deo, nisi quod res-
pondet voluntati creatæ, neque cogitur expli-
cite alia vlla perfectio: sed voluntatis creatæ perfectio
minor est quàm perfectio intellectus: ergo volun-
tas diuina secundum conceptum explicitum præcisè
considerata est minus perfecta, quàm perfectio intel-
lectus. Similiter amor liber minus est perfectus quàm
amor quo necessariò Deus amat se ipsum ob eandem
rationem. Neque absurdum est dicere quod perso-
nalitas, & processio Spiritus Sancti præcisè, secun-
dum conceptum explicitum, est minus perfecta, quàm
personalitas Verbi, quamuis realiter, & secundum
conceptum implicitum æquè sit perfecta, & simili-
ter paternitas improducta secundum conceptum ex-
plicitum, est perfectior filiatione producta. Ut ex-
presse concedunt Fasolus tom. 3. quæst. 42. art. 1.
Martinon. d. 3. sectione vltima, Recupitus libr. 3.
quæst. 14. imò fateor quod propter omnes actus li-
beros infinite laudabilis est, ut dixi, quia illi non spe-
cificantur ab obiecto sicut actus Christi ab eo speci-
ficantur, qui tamen vno modo sunt æqualiter om-
nes meritorij & satisfactorij, valore sumpto à per-
sona, non autem valore sumpto ab obiecto ut di-
cetur 3. parte.

SECTIO III.

*Quomodo Attributa de essentia, & de se inui-
cem prædicantur.*

Certum est primò multas propositiones identi-
cè veras esse quæ in sensu formali sunt falsæ.
Veræ sunt identicè, quia prædicatum, & subie-
ctum sunt idem realiter; falsæ autem in sensu for-
mali, quia prædicatum, & subiectum distinguun-
tur ratione.

Duplex
præsuppo-
sitiu.

Certum est secundò quasdam propositiones fieri
per Verbum substantiuum *Est*, quod significat so-
lam identitatem, alias autem fieri per verba adiecti-
ua, quæ non significant solam identitatem sed aliquid
aliud, actionem v. gr. & productionem aliquam.
Quando sunt per verbum substantiuum non neces-
sariò significant sensum formalem, quia, *Est*, non
necessariò significat aliud quàm identitatem: quando
autem sunt per adiectiua, significant semper sensum
formalem, quia huiusmodi verba significant sem-
per aliquid aliud quàm identitatem quæ omnia ex
Logica nota sunt. Et in his fundantur quinque re-
gulæ sequentes, ad quas reuocari omnia video, quæ
de prædicatione attributorum disputari solent.

Prima est: omnia concreta quæ significant essen-
tiam, vel attributa prædicari possunt per verbum sub-
stantiuum de quolibet concreto quod significat ef-
fentiam, aut attributa.

Prima re-
gula de
concretis.

Ratio est quia verbum substantiuum significat so-
lum identitatem, quæ reperitur inter essentiam, & at-
tributa, itaque verum sine dubio est dicere, Deus est
sapiens, iustus, &c. misericors est iustus, &c.

Secunda est: abstracta omnia quæ significant essen-
tiam, aut attributa absoluta, prædicari possunt per
verbum substantiuum, de quolibet concreto vel ab-
stracto naturæ aut attributi, & concreta similiter de
abstractis. Ut Deus est Deitas, iustitia est misericordia,
Deitas est sapiens, iustitia est misericors, iustitia est
Deus. Ita enim omnino definitur in Concil. Rhemen-
si, & traditur ab Augustino, Anselmo, Bernardo.

Secunda
regula de
abstractis.

Ratio est, quia in Deo propter summam vnita-
tem, & simplicitatem, concretum, & abstractum

D 2

idem

idem omnino sunt, cum subsistentia non sit aliquid naturæ superadditum, licet non significant eodem modo, ergo si concreta prædicari possint de se inuicem, possunt etiam abstracta de illis similiter prædicari, & de se inuicem; alioqui abstracta essent aliquid receptum, & daretur vera in Deo participatio, cum *participare* sit esse tale per formam quæ non est ipsum. Vnde dicimus cum Dionysio Deum non esse, bonum, pulchrum, misericordem, sed bonitatem, pulchritudinem, misericordiam, quia Deus est summè simplex, & purus, ac imparticipatus, sed se ipso totus.

Tertia regula de verbo substantiuo.

Tertia est, omnes prædicationes factæ per Verbum substantiuum, aut concretorum de concretis, vel abstractis aut abstractorum de concretis, vel abstractis diuersi nominis, sunt veræ non solum in sensu identico, sed etiam in sensu formali confuso, non autem in sensu formali explicito, v.g. voluntas est intellectus, Deus est misericordia, iustitia est misericordia.

Ratio est quia attributa, vt dixi, non solum realiter, sed etiam formaliter se mutuo includunt, ergo propositiones illæ quæ falsæ sunt in sensu formali explicito, veræ tamen sunt in sensu formali confuso.

Quarta regula de verbis adiectiuis.

Quarta est id quod vnius attributi proprium est, non potest prædicari de aliis attributis in abstracto per verba adiectiua, v. gr. falsum est dicere, misericordia punit, iustitia misereatur, Deus voluntate intelligit.

Ratio est quia verba adiectiua significant semper sensum formalem explicitum, quia significant formaliter formam expresse significatam. Ideoque sensus huius propositionis, Deus intelligit voluntate, esset iste, Deus intelligit secundum id quod expresse formaliter significatur per voluntatem, quod vt patet falsum est.

Quinta regula.

Quinta demum est, id quod vnius attributi absoluti proprium est potest abiectiue prædicari de aliis attributis in concreto & de essentia: v. gr. bene dicitur, Deus vult, Deus intelligit, Deitas vult, Deitas creat, misericors punit, iustus misereatur.

Ratio est quia omnia concreta significant suppositum, & hæc verba significant actionem, quæ semper tribuitur supposito, vt suppositum est, vnde verba hæc iuncta concretis, præcipue respiciunt suppositum, & non necessario significant sensum formalem respectu formæ in obliquo significatæ, sed respectu ipsius suppositi. Cur autem similiter id verum non sit de attributis relatiuis, falsum enim est dicere Deitas generat: pertinet ad materiam de Trinitate.

SECTIO IV.

De attributis diuinis in particulari.

Quis mensus est pugillo aquas & celos palmo ponderauit, (inquit, apud Isaiam cap. 40. ipse Deus) & sanè merito, quia ipsi soli nota est longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum perfectionis illius quæ longior est terrâ, latior mari, sublimior cælo, profundior abyssis. Magnus ergo hic nobis imò infinitus pateret campus si numerare, metiri, ponderare vellemus singula illa Dei attributa totalia, quæ in essentia diuina dixi contineri, ab ea nec distinguere nec inter se, de illa & de se inuicem prædicari. Disputarunt de illis præter Theologos omnes in primum, & interpretes S. Thomæ à quæst. 3. ni fallor, eximie Petrus toto tomo 1. dogmatum. Lessius aureo libro de attributis. Garassius 1. parte summa Theologicæ. Theophilus & alij, & mihi sanè nunc si vacaret, nihil videretur iucundius quàm singula illa persequere, ac de vnoquoque probare, ac explicare, an sit, quid sit, quantum sit, ad quid obliget. Sed

illis omisiss quæ alterius fortasse temporis esse poterunt.

Certum sit primo multipliciter à Theologis diuidi solere attributa. Primum in positiua quæ sunt per affirmationem & inclusionem perfectionis, & negatiua quæ sunt per exclusionem imperfectionis. Secundò in transcendentia quæ aliquo modo esse possunt communia Deo, & creaturis, & propria quæ non conueniunt nisi Deo. Tertiò in ea quæ pertinent ad ipsum esse, & ea quæ pertinent ad operari. Quartò commodissima videtur diuisio in ea quæ sequuntur essentiam absolute vt essentia est, & ea quæ sequuntur essentiam vt est vita.

Quibus modis diuidantur attributa Dei.

Certum est secundò quod essentiam absolute vt essentia est, sequuntur primò infinitas formalis quæ alio ferè nomine dici potest Dei magnitudo, pulchritudo, bonitas. Secundò aseitas, actus puritas, necessitas, excludentes dependentiam, potentialitatem, contingentiam. Tertiò immutabilitas, immensitas, æternitas. Quartò vnitas singularitas, simplicitas. Quintò veritas, inuisibilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas.

Attributa quæ sequuntur essentiam vt essentia est.

Certum est tertiò quod Dei essentiam vt est vita, sequuntur primò in intellectu sapientia, ars, prudentia. Secundò in voluntate, amor, sanctitas, iustitia, misericordia, fidelitas, veracitas, benignitas. Denique omnipotentia, dominium, beatitudo, prouidentia.

Attributa quæ sequuntur essentiam vt est vita.

Dico primò infinitas Dei rectè probatur à priori, quia Deus est totum esse per essentiam, à posteriori quia est vnicum & à se ac radix totius esse, & præsertim ex infinitate rerum possibilium, quæ per ipsum creari possunt. (Vt superius dictum est.) Definitor infinitas perfectio ratione cuius Deus est omnia, indiuisibiliter & interminabiliter. Quanta verò sit ex eo perspicui potest, quia dixi omnia, quod sanè tum extensiuè, tum intensiuè adeò latè patet vt omnem exhaustiat intellectum humanum, & Angelicum, totâ æternitate, numerantem, ponderantem, mensurantem, imò adæquet intellectum ipsum infinitum, quidquid enim cogitare, comprehendere, adæquare intellectu potest, hoc est ipse Deus. Et hæc est Dei magnitudo, complexio scilicet omnis perfectionis adæquans omnia & superans, quæ non est aliud quàm infinitas, nisi minus propriè magnitudinem Dei appelles ipsam immensitatem de qua dicam statim.

Infinitas Dei.

Pulchritudo quoque Dei non est aliud, quàm eadem infinitas, sed propterea connotat potentiam cognoscentem, cui placere, quàm delectare infinite potest. Bonum enim, & pulchrum ratione duntaxat differunt, quia bonum respicit appetitum, & excitat in eo amorem sui, pulchrum autem respicit potentiam cognoscentem, & eam delectat, si quidem pulchra dicuntur quæ visui placent. Quia scilicet vt rectè notat S. Thomas 1. p. quæst. 39. art. 8. tria complectitur pulchritudo, primum est integritas, secundum, proportio, tertium, claritas, quamuis corpoream pulchritudinem duobus definisse videtur Cicero 4. Tuscul. primum est, *Apta figura membrorum*, secundum *coloris suauitas* quem imitatus est Augustinus lib. 22. Ciuit. cap. 19. *Omnis pulchritudo corporum est partium congruentia cum quadam coloris suauitate*. Vnde merito Basiliius hom. in Psalm. 29. totam pulchritudinem positam esse ait in symmetria quadam & proportionem, quia illa est quæ potentiam cognoscentem delectat, ideoque solum illud vocatur pulchrum, quod placet visui & auditui, vel etiam intellectui, quia proportionem percipiunt, & approbant illæ potentie.

Dei magnitudo

Dei pulchritudo.

Pulchritudinem ergo Dei admirabilem probat primò à priori collectio totius boni, si enim in Deo est omne ens, & omne bonum, est etiam omne pulchrum, est enim in Deo integritas, nempe totum esse, est proportio,

portio, summa, nimirum simplicitas, est claritas, summa videlicet Dei puritas. Etenim (inquit Dionysius c. 4. de Diuinis nominibus,) *per simplicem pulchrorum omnium naturam, omnis pulchritudo, & omne pulchrum, una & simplici ratione, secundum causam omnem subsistit.* Deinde à posteriori ostenditur eadem pulchritudo ex operibus Dei. *Magnorum enim creator* (inquit Hilarius l. 1. de Trinitate,) *in maximis est, & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est, & cum omnem sensum supergreditur operatio, omnem tamen sensum, necesse est ut supergrediatur operator.*

Quid autem sit pulchritudo illa ex dictis patet: quanta verò sit colligitur ex iisdem capitibus, Deus enim est fons & effector totius pulchritudinis quæ apparet in hominibus, in Angelis, &c. Eamque in se totam collectam tenet vnicissime ac eminentissime, imò infinitè illam vincit, aded ut tota illa pulchritudo, diuinæ comparata, sit instar nihili. Deinde formaliter est pulchritudo infinita, est eminenter, & obiectiue, vnde illius sola visio tantam parit delectationem, ut æterno tempore hominem efficiat beatum, imò nec libertatem relinquat ad amandum sed voluntatem totam rapiat necessariò ad amorem, satisfactas gaudiorum cum vultu tuo.

Dei bonitas. Bonitas præterea Dei naturalis, non est aliud, quam infinitas, & plenitudo totius esse quatenus ut dixi, appetitum ad amorem mouet, de bonitate autem morali quæ dicitur sanctitas, & de bonitate beneficentia quæ dicitur benignitas, alter erit dicendi locus nunc dicere satis est meritò dixisse Dionys. c. 4. de diuin. nom. *Hanc esse primam Dei appellationem. Bonum Deum* (inquit Synesius oratione de Regno) *ubique prædicant omnes ubi vis terrarum populi tam sapientes quam imperiti, idque vniuersi vno consensu, & una voce profitentur licet quod ad alia variis sententiis discrepent.*

Dei perfectio. Denique perfectio Dei eandem designat infinitatem, dicitur enim perfectum cui nihil deest. *Deus est* (inquit Alcinous c. 10.) *ἀνορέτης, δεισιδής, παρρηδής, σε ἑαυτοῦ περὶ ἑαυτοῦ, quia nullus eget, semper perfectus, omnis perfectio.*

Immutabilitas Dei. Dico secundò, immutabilitas Dei perfectio est, ratione cuius nihil acquirere Deus potest, nihil amittere. Probatum primò ex infinitate, ratione cuius est omne bonum, imò id quo nihil cogitari potest melius, in quo non potest esse melius aut deterius. *Non habet* (inquit Fulgentius epist. 6. c. 4.) *ubi proficiat, ipse in melius, aut vnde in deterius deficiat; ille quod est semper est; & sicut est ita est, non in se habet posse non esse quod est, quia nec in se habet non esse posse quod non est, vide cetera.* Secundò probat summa simplicitas. Tertiò ætinitas, *incrementa originem monstrant* (inquit Nouatianus l. de Trinit. c. 4.) *& detrimenta mortem, atque interitum probant.* quod natum non est nec mutari potest. Quartò probat actus puritas, vno verbo habet omnia: ergo nihil ei potest accedere, habet per essentiam, ergo nihil decedere.

Immensitas Dei. Immensitatem diuinam probat primò infinitas, secundò immutabilitas. Definitur perfectio ratione cuius Deus totus intimè præsens est omnibus locis, & rebus interminabiliter. Consistit omnino in duobus. Primum videtur expressum esse ab Hilario infusus & circumfusus; quod intra & extra omnia sit. Secundum quod omnia sint intra Deum. Probari hæc omnia ex scripturis, patribus, ratione eximè possent vide Petauium l. 3. a. c. 7. quantum hoc sit xpendit optime Lessius l. 2. de Attributis.

Æternitas Dei. Æternitatem Dei rationes eadem probant, de cuius essentia est carentia initij, carentia finis, carentia vicissitudinis & mutationis, interminabilis, tota simul & perfecta possessio.

Vnitatis Dei. Dico tertiò Dei vnitatem vel potiùs vnicitatem

probant omnia Dei nomina & attributa. Primò quia est summè magnus, summè pulcher, &c. Deus cum summum magnum sit, si non vnus est non est, quia scilicet ut aliquid sit Deus debet esse supra omnia, omnium primum & summum, quod autem hoc modo est, vnum est. Secundò quia est infinitus in omni genere, ergo necessariò vnus est, si enim plures sunt vel aliquo differunt, & sic neuter perfectus est, quia vnus caret infinità perfectione quam alter habet, vel in nullo differunt & sic non sunt plures. *Virtus perfecta natura* (inquit Lactantius l. 1. c. 3.) *non potest esse nisi in eo in quo totum est.* Tertiò quia est totus à se per essentiam, si enim per essentiam est singularis, singularitas est illi essentialis quod autem essentialiter est singulare nò potest multiplicari. Quartò ex simplicitate, quia id quo differunt illi Dij vel est de ipsa essendi necessitate vel extra illam, si primum ergo conuenit omnibus necessarijs: si secundum ergo habet aliquid accidentale. Quintò vnitatem illam Dei contra Polytheistas probant, vnitatis mundi, eius rectissima gubernatio, consensus omnium sapientium, quæ optime persequuntur præter ceteros, Recupitatus toto l. 5. Petauius l. 1. c. 3. & 4.

Alteram Dei vnitatem quæ non videtur esse aliud quam summa simplicitas exposui quantum satis est, q. 2. eximè Augustinus l. de moribus Manichæorum c. 6. *Nihil est esse quam vnum esse, itaque in quantum quodque vnitatem adipiscitur, in tantum est, &c.* reliqua Dei attributa, pertinent ad ea quæ toto reliquo tractatu explicari debent.

QUESTIO IV.

De modo cognitionis diuinæ à viatoribus.

Dixi hæcenus quid cognoscere possimus de Deo quoad existentiam, essentiam, attributa, nunc videndum restaret cuiusmodi sit illa cognitio quam viatores habere possunt de Deo, sed naturam tamen, proprietates, & varios eius modos non erit difficile intelligere ex his quæ dicuntur sequenti disputatione de cognitione quidditatiua & intuitiua Dei, quam habent comprehensores, nam ex natura & proprietatibus cognitionis huius, facilis coniectura erit de altera, nunc pauca hæc satis erunt.

Primò natura eius sita in eo est, quod sit abstractiua, id est per species alienas; quia Deum in se ipso non intuemur ut præsentem, sed in creaturis dumtaxat ut speculis & per earum species illum cognoscimus, quam, vocat Apostolus, visionem per speculum in Ænigmate.

Secundò quatuor sunt eius proprietates, prima quod sit mediata, ut dixi, quia medijs creaturis attingit Deum, medijs, inquam, illis, ut obiectis & medijs earum speciebus. Secunda proprietas cognitionis huius est, quod sit inadæquata solum, & ex parte ut Apostolus loquitur; quia creaturæ non participant, neque repræsentant pelagus totum essentia diuinæ, sed aliquas tantum, & tenuissimas eius stillas. Tertia quod sit obscurissima, & in Ænigmate, quia creaturæ infinitè distant à perfectione Dei, vnde repræsentant Deum quoad an sit, sed valde obscure ac imperfectè quoad quid sit. Quarta denique quod sit appropriata non propria quia est per conceptus obiectiuos communes Deo, & creaturis, quos deinde Deo appropriamus.

Tertiò modi huius cognitionis, duo potissimum à Patribus numerantur Symbolicus, & demonstratiuus. Primus obscurus est per imagines & similitudines. Secundus apertus ut cum Deum dicimus esse bonum, sapientem, &c. Est autem quadruplex demonstratio, per affirmationem, quæ Deo tribuit

Cognitio Dei abstractiua.

Eius proprietates.

Duo modi huius cognitionis.